



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus præscriptionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Si quis autem impetret privilegium contrarium prescriptioni, interrumpitur quidem prescriptio, si ea nondum completa sit, quia post impetratum privilegium videtur esse in mala fide prescribens, ex hoc videlicet capite ad privilegium sibi impetrandum motus, quod putaret rem talem ad se non pertinere; si vero completa jam sit, nihil ei nocet privilegium impetratum contrarium prescriptioni, sed hoc tantum operatur, ut in posterum prescriptione uti non possit ad rem prescriptam sibi defendendam, cum huic, eo ipso, quod privilegium contrarium prescriptioni impetrare vel voluerit, vel impetraverit, prescriptioni renuntiasse videatur; cui tamen non renunciat, si privilegium, quod non est contrarium prescriptioni, impetravit, cum tale privilegium ad majorem tantum cautelam & corroboracionem prescriptionis &c. impetratum potius videatur.

¶ (o) ¶

Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus prescriptionem?

Conceditur hoc privilegium primo Minoribus 25. annis, adversus prescriptionem etiam longissimi temporis, ut eam petere possint intra quadriennium post impletum 25. annum, si eundem conceditur Ecclesijs, alijsque locis, quamvis 40. aut 100. annorum prescriptio contra ea completa jure sit. Tertio conceditur non tantum etiam Majoribus, si justa causa sublegetur, ob quam prius, dum contra eam currebat prescriptio, agere non potuerunt, & quidem contra prescriptioem longi temporis justa etiam causa concedendæ restitutionis in integrum Majoribus, videtur etiam aliquibus, quod invincibiliter ignoraverit aliquam currentem contra se prescriptioem, quam tamen ignorantiam justam concedendæ Majoribus restitutionis in integrum negant aliqui, quia prescriptio æquè præjudicat ignorantibus ac scientibus, *ra c. Vigilanti §. h. i. & L. ult. de prescript. long. temp.*

